UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXIII.

20. Decembris. 13. Cal. Januar.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45314

Visual Library

quod cùm te jam ad extrema redegiſſet, & pius Abbas Giſilbertus ad iter in Ciſtercium eſſet accinctus, mandatum ab eo accepiſti, ne decederes, donec ille reverteretur. Jámque redux exteriorem Monaſterii portam ſubierat, cùm tu ſpiritum reddidiſti. At ille accurrens te denuo vivere juſſit, ac poſt auditam narrationem de ſpectata gloria cœleſti, iterum moriendi lætiſſimam copiam fecit. *Si mens humana ſinè gratiæ lumine ſibi relinquitur, fatali cæcitate laborat. Sed huic miſeriæ noſtræ medetur Obedientia: quam qui clauſis propriæ voluntatis oculis ſequitur, à cœlo aberrare non poteſt.* *Redit ex obedientia ad vitã*

S. BERNARDUS, ſ. 4. in die Palm.

Hieruſalem Viſio Pacis dicitur; ad quam tunc rectâ & regiâ viâ pergimus, ſi per Confeſſionis puritatem, per Obedientiæ humilitatem, & per Miſericordiæ ſublimitatem incedimus. Via ad cœlum triplex.

20. *Decembris.* 13. *Cal. Januar.*

B. PETRE Monache Savigniacenſis Monaſterii: qui vigilantiâ indefeſſâ hoc unum agebas, ne vel leviſſima macula puritatem cordis offenderet: *Circa annum 1172.*

& cùm fortaſſe inutilis aliqua cogitatio obreperet, ſinè mora in te ſeverè animadvertens ad ſacrum properabas tribunal, & quaſi grande ſcelus admiſiſſes, cum gemitu & lacrymis te humillimè accuſabas. Cujus in conſcientia tua teneritudinis non ignarus S. Aymo, quo moderatore utebaris, poſt felicem tuum obitum extra ſe raptus; te inter cœli cives ſingulari ſplendore decoratum vidit, audivítque, eum gloriæ gradum præmium eſſe tuæ in conſervanda puritate diligentiæ. *Sit mihi hæc gloria tua ſtimulus ad te imitandum. Brevis eſt & jucundus labor, merces verò æterna.*

Conſciẽtiæ puritati ſtudet.

Glorioſus apparet.

Floruit anno 1500.

B. MARIA, Converſa Eboracenſis in Luſitania, quæ excluſis ab animo tuo terrenis amoribus, cor totum uni DEO junxiſti: in cujus charitate abſorpta ſummas delicias inveniſti in tuimet contemptu & afflictionum tolerantia. Qua egregia pietate quidapud Superos merueris, tum in morte patuit, quam hilari & ad omnem lætitiam compoſito vultu oppetiiſti: tum aliquot poſt eandem annis, dum ex aperto ſepulchro tuo peregrinæ fragrantiæ odor emanavit, qui continuato prodigio in hodiernam uſque diem ibidem perſeverat. *Erubeſco ſimul ac de-*

Odorem è ſepulchro ſpargit.

ac deploro tam diuturnam cordis mei duritiam, quòd poſt accepta & agnita tam ingentia à Deo beneficia in eo amando tam rudis adhuc & frigidus ſim. Tu eſto mihi magiſtra amoris, & ita me inſtrue, ut nihil præter Deum amem.

S. BERNARDUS, ſ. 3. de Aſcenſ. D.

Quis ſufficiat cogitare, quomodo rerum Dominus prævenerit nos, venerit ad nos, ſubvenerit nobis? & ſingularis illa Majeſtas voluerit mori, ut viveremus; ſervire, ut regnaremus; exulare, ut repatriaremur; & ad ſerviliſſima opera inclinari, ut conſtitueret nos ſuper omnia opera ſua? Chriſti in nos beneficia.

21. Decembris. 12. Cal. Januar.

B. THOMA, Monache de Arnisburg in Germania: qui cùm ex Divorum hiſtoriis non rarò didiciſſes, quòd Puriſſima Cœlitum Regina devotis famulis ſe in auguſta ſpecie ſpectandam obtulerit, parem ab ea flagitâſti favorem. Nec diſplicuit illi ſimplex deſiderium. Cùm enim quadam nocte nullum oculi tui ſomnum admitterent, in pomerium deſcendens duas primùm ſplendentis elegantiæ Virgines audiſti *Floruit anno 1121.*